



MENSE FEBRUARIO

Die 14 februarii
BEATÆ MARLÆ VIRGINIS, MATRIS PULCHRÆ DILECTIONIS
Festum

LECTIO PRIOR

Ego mater pulchræ dilectionis

Léctio libri Ecclesiástici

24, 23-31

Ego quasi vitis germinávi grátiam,
et flores mei fructus honóris et honestátis.
Ego mater pulchræ dilectiόνis et timóris
et agnitiόνis et sanctæ spei.
In me grátia omnis viæ et veritátis,
in me omnis spes vitæ et virtútis.
Transíte ad me, omnes, qui concupíscitis me,
et a generatiόνibus meis implémini.
Doctrína enim mea super mel dulcis,
et heréditas mea super mel et favum;
memória mea in generatiónes sæculórum.
Qui edunt me, adhuc esúrient;
et, qui bibunt me, adhuc sítient.
Qui audit me, non confundétur;
et, qui operántur in me, non peccábunt:
qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

1 Sam 2, 1. 4-5. 6-7. 8abcd (R.: cf. 1a)

R. Exsultávit cor meum in Dómino Salvatóre meo.

Exsultávit cor meum in Dómino,
exaltátum est cornu meum in Deo meo;
dilatátum est os meum super inimícos meos,
quóniam lætáta sum in salutári tuo. R.

Arcus fórtium confráctus est,
et infírmi accíncti sunt róbre.
Saturáti prius pro pane se locavérunt,
et famélici non eguérunt ámplius.

Stérilis péperit plúrimos,
et, quæ multos habébat fílios, emárcuit. **R.**

Dóminus mortíficat et vivíficat,
dedúcit ad inférnum et redúcit.
Dóminus páuperem facit et ditat,
humíliat et súblevat. **R.**

Súscitat de púlvere egénium
et de stércore élevat páuperem,
ut sédeat cum princípibus
et sólium glóriæ téneat. **R.**

ALLELUIA VEL VERSUS ANTE EVANGELIUM

Cf. Lc 2, 19

(R. Allelúia.)

Beáta Virgo María, quæ conservábat verbum Dei,
cónferens in corde suo.

(R. Allelúia.)

EVANGELIUM

Conservabat omnia verba in corde suo

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

2, 41-51

Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem in die festo Paschæ. Et cum factus esset annórum duódecim, ascendéntibus illis secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi et requirébant eum inter cognátos et notos; et non inveniéntes regréssi sunt in Ierúsalem requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos; stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis eius. Et vidéntes eum admiráti sunt, et dixit Mater eius ad illum: « Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te ». Et ait ad illos: « Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? ». Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad illos.

Et descendit cum eis et venit Názareth et erat súbditus illis. Et mater eius conservábat ómnia verba in corde suo.

Verbum Dómini.